

Magnifice Rector,

Ill.mus et Rev.mus Dominus Ferdinandus VANDRY, Studiorum Universitatis Lavalensis rector et moderator, consiliorum memor quae Romae anno Domini 1949 in primo Rectorum concilio deliberata et decreta sunt, proponit ut Catholicarum Studiorum Universitatum Foederationis secundus congressus in urbe Québec habeatur diebus VII et VI ante Kalendas Octobres a.D. 1952 (25 - 26 sept. 1952), occasione festivitatum quibus saecularis Lavalensis Athenaei annus sollemniter celebrabitur quaeque die V ante Kal.Oct. (27 sept.) initium habebunt.

Ordo, qui dicitur, diei in conventu Foederationis nostrae hic fere esse poterit:

1. De Foederationis vita et opera necnon de re oeconomica quae ad eam pertinet.
2. De principiis adhibendis ad Annuarium conficiendum.
3. De relationibus a Foederatione nostra habendis cum Internationalibus, quae dicuntur, Consociationibus.
4. De professoribus et discipulis ab invicem permutandis, et quo modo hae commutationes fieri possint Athenaeis nostris honori et hominibus permutatis quam maximae utilitati.

Ad haec, quaeso, mihi respondeas:

- a) Ipsene in urbe Québec aderis, an legatum mittes ?
- b) Quae argumenta, praeter iam dicta, in conventu nostro pertractanda existimas ?
- c) Quae argumenta ipse illustrabis, vel legatus tuus ?

Omnia tibi sint in Domino bona et ad bonum perducantur effectum.

(fr. Augustinus Gemelli O.F.M.)

a secretis

ARCHIVO HISTÓRICO
PONTIFICIA

UNI. Mediolani Kal.Oct. 1951

CATOLICA DE CHILE

